



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

monachi nullatenus excludantur, ne forte venire contra sanctiones canonicas videremus, quibus provida fuit deliberatione statutum, ut quæ semel Deo dedicata sunt monasteria, semper maneant monasteria; cum & hodie generaliter statuat ut ordo monasticus, qui in aliquo monasterio secundum Deum & beati Benedicti regulam dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Si verò prædictorum Episcoporum copiam habere non poteris, tu cum eorum altero juxta præscriptam formam in ipso negotio procedendi habeas potestatem. Nulli ergo &c. Datum ut supra.

E I D E M.

C Vm in ecclesia Dei ex dispositione divina locum obtineas digniorem, petitionibus tuis tanto libentius favorem apostolicum impertimur, quanto eas credimus ex maturiori deliberatione procedere, & personam tuam cognoscimus ad augmentationem ecclesiasticæ dignitatis sollicitius aspirare. Cum igitur tibi tam à felicis recordationis Celestino Papa prædecessore nostro quam à nobis de fratrum nostrorum consilio sit indultum ut infra Castrum tuum, quod Mofomum dicitur, in abbacia ejusdem castri valeas episcopatum erigere, vel si malueris in eodem Castro aliam Cathedralē Ecclesiam, cui præficiatur Episcopus, fabricare; ut laudabile tuæ voluntatis propositum melior sequatur effectus, & ad exaltationem novi episcopatus studeas affectuosius & intendas, personæ tuæ, quam prærogativa dignitatis honorare volumus speciali, auctoritate præsentium indulgemus ut liceat tibi, quoad vixeris, personaliter in eodem episcopatu, eorum requisito assensu quibus Episcopus præficiendus extiterit, nullius contradictione vel appellatione obstante, personam idoneam instituere in Pontificem, qui populo sibi commisso præesse valeat & prodesse. Nulli ergo &c. Datum &c. ut supra, vii. Idus Maij.

MAGISTRO GVISELIN.
Subdiacono nostro, Cancellario
Tornacen.

C Vm à nobis petitur &c. usque ad verbum illud effectum. Ad audientiam nostram siquidem te referente per-

venit, quòd cum felicis rec. Celestinus Papa prædecessor noster causam quæ vertebatur inter te & Laurentium Clericum de Brugis, super præbenda spectante ad magisterium scholarum sanctæ Mariæ in Brugis, venerabili fratri nostro Vvillielmo Remen. Archiepiscopo sanctæ Sabinæ Cardinali commisisset sine debito terminandam, ipse allegationibus utriusque partis auditis & cognitis, de prudentum virorum consilio te ab ipsius impetitione absolvit, super hoc perpetuum silentium imponens eidem. Nos igitur quod per eundem Archiepiscopum factum est volentes debitam firmitatem habere, præbendam ipsam, sicut justè possides & quietè, devorioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum i v. Non. Maij.

TORNACEN. EPISCOPO.

C Vm Ecclesiarum omnium cura nobis imminet pastoralis, sic nos convenit circa utilitatem ipsarum attentius vigilare, ut quæ malè ordinata sunt in eis, in statum revocentur auctore Domino meliorem. Intelleximus siquidem per petitionem ex tua nobis parte portectam, quòd redditus duodecim Altarium, qui ad mensam episcopalem specialiter fuerant deputati, quidam prædecessorum tuorum retroacto tempore minùs rationabiliter distraxere. Volentes igitur tibi & Ecclesiæ tuæ paterna sollicitudine providere, ut redditus illos, qui in præjudicium tuum à mensa episcopali irrationabiliter sunt subtracti, tibi liceat appellatione remota legitimè revocare, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum &c. ut supra, v i. Non. Maij.

CANONICIS ECCLESIAE
beate Mariæ Tornacen.

C Vm à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu; ut redditus, qui à diversis donatoribus ad usum Vicariorum Ecclesiæ vestræ, qui non sunt majoris altaris servitio deputati, per temporum vices proveniunt, colligantur in unum, & per ministros vestros inter eosdem Vicarios æqualiter dividantur, qui communi assensu Capituli, secundum antiquam & rationabilem Ecclesiæ vestræ consuetudinem institui valeant, & similiter amoveri, liberam vobis auctori-

L iij

Epist. 155.
Vt à decessoribus alienari revocet.

Epist. 156.
Vt fructus Altarium Vicariis æqualiter dividantur.